

Y d
5390





Cl. V. 5.
(1)

Q. F. F. Q. S!

VIROS

NOBILISSIMOS, PLUR. REVEREN-
DOS, AMPLISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS,
CLARISSIMOS, DOCTISSIMOS,

QVIBUS SALFELDIA
NOSTRA DECORATUR,

ad auscultandam

ORATIONEM VALEDI-

CTORIAM

SAMUELIS PFEIFFERI, NIEDERGRÆ-
FENHAINENSIS MISNICI,

IN

ENCOMIUM SALFELDIAE

conscriptam,

Officiosissime ac amicissime

Invitat.

M. CHRISTIANUS Seidler/

Scholæ S. Rector.

RUDOLSTATII,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

de Sala fluvio.

6778

Yd
5390







Gregias sanè ac permagnas utilitates cum singulis tantum non diebus, qui in cœnia nostra præterlabitur, SALA, nobis præbeat, conveniens huic Programmati argumentum. putavi, si fontes argumentorum speciales à Rhetoribus in commendationem fluminum propositas in gratiam discen- tum breviter excuterem, atq; adeò, dum Vale dicturus in laudem *Salfeldiæ* perorabit, ego de *Sala* vicino nonnulla hïc commentarer. De *Sala*, inquam, fluvio Thuringiaco, inter quem & Rhenum quondam præclarissimus Romanorum Dux, Drusus Germanicus, Augusti privignus, domitis jam hostibus victor oppetiit; (a) non de *Sala*, aliò hujus nominis *Mauritaniæ* flumine, (b) nec de *Sala* Franconiæ, propè cœnobium *Pilhausen* oriente, & tendente versus occidentem, præter labenteq; arcem *Königshofium*, *Neostadium* *Rumstadium*, *Hamelburgum* ac *Gmindam*, ubi in Rhenum devolvitur.

Principiò ergo inqvirendum mihi hïc esse intelligo partim in vocis, partim ipsius nobilis hujus nostri fluminis *originem*. *Salæ* enim denominationem quod spectat, non una est eruditorum de eâ, opinio. Nonnulli quidpe sunt, qui à Francis *Saliis*, legum *Salicarum* conditoribus, eum nomen sortitum autumant. Alii verò à *salugine* seu aqua *salsa* *Salam* etymon obtinuisse persuasum habent. Sed neutra harum mihi probatur opinionum. Sicuti enim huic experi-

a.) *Strabo* l. 7. b.) *Flin.* l. 5. c. 1.

entia reclamant, cum Salæ aqua minimè sit falsa, sed maxime grata & dulcis: ita illa vel hoc nomine in dubium vocanda, quòd Francos Salios à Sala Francorum versâ potius vice nuncupatos verisimile videatur. Nec insuper singularis illa Aventini (c) sententia mihi arridet, quâ Salam à *Salah*, uni è Tuisconis filiis sic vocitato, suas vindicare natales opinatur. Quare tandem cum præcellentissimis Historicis Ernesto Brodoffio, Conrado Celte, Georgio Agricola, Petroque Albino (d) SALAM à *Salah Arphach-sati nepote, Semi filio*, suum trahere nomen haut abs re existimo, & hanc veram esse adfirmo vocis originem. Originem autem ipsius fluminis quod attinet, SALA in vastissimo monte sylvestri, qui Pinifer, Germanicè *der Fichtelberg* / dicitur, unà cum aliis tribus fluminibus æquè nobilibus quasi nascitur. Quatuor enim flumina scaturiunt ex altissimo isto monte, & quidem *crucis formam* representantia, qui sanè mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis naturæ lusus est. Sunt autem ista quatuor flumina *Egra, Nauma, Mœnus & Sala*, ad quatuor mundi plagas & climata rectâ tendentia. Egra enim versus orientem manans in Bohemia Albi jungitur, Nauma meridiem petens in Danubium devolvitur, Mœnus ad occasum tendens in Rhenum defluit, Sala ad septentrionem vergens tandem propè oppidum Calbam (e) in Albim sese exonerat plenò & navigabili sanè alveò.

Est quidem ille à primâ scaturigine fluvius valdè exiguus, ita ut initio ex tenuibus quibusdam rivulis colligi, & sic incertò penè fonte decurrere videatur. Sed deinde per Varisciam, Thuringiam, Misniam, Saxoniam devolutus in alveum suum plurima tum ab orientali, tum occidentalilatore recipit flumina, è quibus potiora saltem nomi-

(c) in *Tractatu de origine Germ.* (d) cit. in *Salsfeldograph. MSS. lib. 1. cap. 8.* (e) *Cluver. lib. 3. Introduct. Geograph. c. 5. p. 192.*

minabo, ne iusto longior mea hæc evadat Dissertatiuncula. Intrannt nimirum in Salam *Sebiza, Loquiza, Schvvarza, Orla, Roda, Ilma, Onester, Elyster, Gella, Clia, Salza, Schleinza & VVipra*; ut rivulos ac torrentes minores numero quam plurimos sicco, quod ajunt, pede transeam. His auctus fluminibus tanta Sala capit incrementa, ut & navigia recipere possit, sicuti ponto ille *Numburgensis* demonstrat, quippe quò maxuma sæpenumerò trajici solent pondera. Sed satis etiam de fluminis nostri insigni augmento atqve incremento.

SALA porrò quoad *colorem & cursum* est limpidus & ad imum usqve vadum fundumqve pellucidus fluvius, defluitqve cursu leni, & non nisi ob saxorum interjectum fragroso, gratum susurrum & adspectum per sinus varios, quos facit, prætereuntibus præbens.

Civitates insuper præterlabitur SALA quamplurimas, in primis *Münchbergam, Schvvarzenbachium, Hefium, Hirschbergam, Lobensteinium, Salburgum, Burgum, Zigenrückam, Salfeldiam nostram Rudolphopolim, Orlamündam, Calam, Jenam, Dornburgum, Camburgum, Leucopetram, Martisburgum, Halam, VVeithinum, Friedeburgum, Rotenburgum, Alslebiurn, Berenburgum, & Calbam*, ubi Albi tandem, ut supra jam tum dictum, excipitur.

Quid scribam ulterius de eximia illa optumorum piscium copia, quam SALA nutrit & erogat, quæqve non minimam dignitatem huic conciliat flumini. Producit enim & educat SALA inter delicatissimorum piscium genera in primis *esoces, lupos, cyprinos, anguillas, mustelas fluviatiles, gobios, auratas truttas, cobites aculeatos, mullos, (Civitatis nostræ insignia,) percas, thymallos, foxinos, fundulos, tincas, caneros, capitones, rubellos, alburnos, aliosqve vulgaris notæ pisciculos varios*. Ut adeò verissimè SALAM *piscosum flumen* adpellârit Poëta ille recentior, Johannes Keckervviziurn, VVra-

tis-

tislaviensis, quando de Salfeldia nostra hunc in modum
cecinit:

*Hic ubi SALFELDAM piscoso flumine SALA
Alluit, & campi jugera culta secat.*

Restat nunc denique, ut de salubritate atque effectibus
naturalibus nostri fluvii non nihil afferam, & tunc colo-
phonem huic dissertationi imponam. Est tandem aqua
nostra Salica non tantum potui & cerevisiae coqvendae
admodum accommoda, prout cordatioribus omnino
persvasum esse arbitror, sed & prurigini ac scabiei
(absit verbo invidia) curandae praecipue conveniens.
In cujus rei fidem vel alumnos nostros, saepius hoc ma-
lo divexatos, testes laudare ac producere possum, qui
omnino experientia docti confirmabunt, se semel atque
iterum Salae latos psora liberatos fuisse, non secus fere
ac Naëman Syrus (liceat cum magnis parva compone-
re,) Jordano tinctus a lepra detestanda dicitur cura-
tus. Alios communes SALAE effectus lubens praetero,
& de Valedicturo nunc pauilla pro temporis
chartaeque ratione adnecto. Est autem ille SAMUEL
PFEIFFERUS, N edergræfenhainensis Misnicus,
Viri admodum Reverendi, Clarissimi, atque eximie
Docti, DOMINI VVOLFGANGI PFEIFFE-
RI, Pastoris in Niedergæfenein Diœceseos Bornen-
sis in Misnia ~~et~~ vigilantissimi non degener filius, qui
per integrum septennium, & quod excurrit, in Lyceo
nostro opt. lingvis ac artibus assiduam constanter nava-
vit operam. Alienissimus enim exstitit ab ejusmodi
Φιλάντων & nasutorum adolescentum consilio, qui no-
va saepius solent affectare dogmata, veterum nimis ci-
to pertæsi, & adeo singulis propè mensibus novos sibi
qværere non dubitant Musagogas. Probè scilicet intel-
lexit, quid vetus illud Latinorum diciturum habeat in
re-

recessu: Lapis sæpè volutus non facillè obducitur. Hinc
nullò temporis articulo animum suum distrahi & averti
à nostris doctrinis & studiis passus est, sed nos Scholæ
hujus Præceptores, quæ optima discipulorum virtus
est, auro cariores habens usque avidis auribus audivit,
auditaque sedulâ repetitione in succum quasi & san-
guinem convertit. Quibus rebus factum est, ut $\Theta\epsilon\acute{o}\varsigma$
 $\delta\acute{\iota}\delta\acute{o}\nu\tau\omicron\varsigma$ sub nostro moderamine in pietatis, disciplina-
rum instrumentalium, ut & linguarum cardinalium
fundamentis eos hæcenus fecerit profectus, ut ex Athe-
neò nostro ad celeberrimam Philyream non sine laude
ac fructu maximo nunc se recipere valeat. Quia au-
tem per septem annos, & eò amplius, Salsfeldiam
nostram sibi gratum hospitium ac cum eò plurima be-
nefacta contulisse meminit, noluit ingrati hospitis no-
tam incurrere, sed almæ suæ nutricis justas laudes in-
grati animi $\tau\epsilon\kappa\mu\acute{\eta}\tau\epsilon\iota\omicron\nu$ publicè decantare prius insti-
tuit. Crastinâ igitur luce, si DEUS dederit, post
I. pomeridianam cathedram conscendit, & in laudes
Salsfeldiæ juxta Præcepta Rhetorica primùm Oratione
Valedictoria, quam vocant, excurret, nec non de-
inceps DEO, Serenissimis Principibus, Inspectori-
bus, Benefactoribus, Præceptoribus, ac ultimò etiam
Commilitonibus decentes persolvat grates. Viros igitur
Nobilissimos, pluri: Reverendos, Amplissi-
mos, Excellentissimos, Clarissimos, Doctissimos,
quibus Salsfeldia nostra ornata est, ad unum omnes of-
ficiosissimè atque amicissimè invito, utque crastinâ
luce dictâ horâ I. pomeridiana frequentes in Audito-
rio nostro majori compareant, & de Salsfeldia in-
tra mœnia ejus ultimum dicturum Vale faventes auscul-
tare dignentur, etiam atque etiam eò, quò par est,
modo

modo rogito. Λόγον προσημειωτὸν memoriter habebit
CHRISTIANUS ZEIDLER, Ronneburgensis
Misnicus. P. P. Salfeldiæ d. 12. Julii Anni Messiani
CIS ISC LXXVII.

FINIS.

Yd 5390 A



ULB Halle
001 510 940

3



Yd 17

W.C.





7





6. 17. 5.
(1)

2. F. F. 2. S!
VIROS

NOBILISSIMOS, PLUR
DOS, AMPLISSIMOS, EXCEL
CLARISSIMOS, DOCTIS.

QVIBUS SALE
NOSTRA DECOR

ad auscultanda

ORATIONEM V

CTORIAM

SAMUELIS PFEIFFERI, N
FENHAINENSIS MISN

IN,

ENCOMIUM SAL

conscriptam,

Officiosissime ac amiciss

Invitat.

M, CHRISTIANUS

Scholæ S. Recto

RUDOLSTATII,

Literis CHRISTOPH. FLE

